

III. C. PLINIUS MACRO SUO S.

«Macro petenti auunculi sui libros recenset; et industriam laudat.»

Pergratum est mihi, quod tam diligenter libros auunculi
mei lectitas, ut habere omnes velis, quaerasque qui sint omnes.
Fungar indicis partibus: atque etiam quo sint ordine scripti,
notum tibi faciam; est enim haec quoque studiosis non in-
jucunda cognitio. De jaculatione equestri unus: hunc, quum
praefectus alae militaret, pari ingenio curaque composuit.
De vita Pomponii Secundi duo, a quo singulariter amatus,
hoc memoriae amici, quasi debitum munus, exsoluit. Bellorum
Germaniae viginti, quibus omnia, quae cum Germanis
gessimus bella, collegit. Inchoavit, quum in Germania militaret,
somnio monitus. Adstitit enim quiescenti Drusi Neronis effigies,
qui Germaniae latissime victor ibi periit: commendabat memo-
riam sui, orabatque, ut se ab injuria oblivionis adsereret. Studiosi
tres, in sex volumina, propter amplitudinem divisi: quibus
oratorem ab incunabulis instituit et perfecit. Dubii sermonis
octo scripsit, sub Nerone novissimis annis, quum omne
studiorum genus paullo liberius et erectius, periculosem
servitus fecisset. A fine Ausidii Bassi triginta unus. Naturae
historiarum triginta septem: opus diffusum, eruditum, nec
minus varium quam ipsa natura. Miraris, quod tot volumina,
multaque in his tam scrupulosa, homo occupatus absolverit?
Magis miraberis, si scieris, illum aliquamdiu caussas actitasse;
decessisse anno sexto et quinquagesimo; medium tempus
distentum impeditumque, qua officiis maximis, qua amicitia
principum egisse. Sed erat acre ingenium, incredibile studium,
summa vigilantia. Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non
auspicandi causa, sed studendi, statim a nocte multa; hieme
vero, ab hora septima, vel quum tardissime, octava, saepe
sexta. Erat sane somni parcissimi: nonnunquam etiam inter